

Universitäts- und Landesbibliothek Tirol

De Liemaro, Hammaburgensi archiepiscopo et de legatione ecclesiae Hammaburgensis ad populos septentrionales

Schröder, Guilelmus

Halle, 1869

De statu Hammaburgensis ecclesiae, qualis fuerit anno 1072

siastica Hammaburgensi conscripsit, nullam fidem dare possumus, quoniam autor non satis accurate e fontibus hausisse videtur.

Lambeccius autem, qui „origines Hammaburgenses“ composuit, ceterique rerum Hammaburgensium scriptores ea tantum monumenta, quae etiam adhuc exstant, perscrutati sunt neque novi quidquam afferunt.

De statu Hammaburgensis ecclesiae, qualis fuerit anno 1072.¹

Adelbertus archiepiscopus, quum primo ab anno, quo ad sedem archiepiscopalem ascendisset, pro libertate dioecesis suae recuperanda et gloria ecclesiae suae amplificanda laboraret, adversariorum numero, qui jam antea Hammaburgensi archiepiscopatu exstiterant, plurimos adiecit. Praetermitto contentionem Adalberti cum Annone, Coloniensi archiepiscopo, de regno Teutonico gubernando, illa tantum commemoro et in medium profero, quae ab anno 1066 gesta sunt. Inter omnes adversarios duces Saxoniae Ordulfus eiusque filius Magnus et frater Ordolfi Herimannus comes, e gente Billingorum orti infestissimos Hammaburgensi ecclesiae se gerebant, praesertim quum illa pars archiepiscopatus, quae trans Albim sita nunc Holstein et Lauenburg dicitur, ducibus illis, qui comitatum ibi administrabant, subdita esset. Qua de causa iidem principes, ut hanc potestatem et in altera parte, Bremensem dico episcopatum, adipiscerentur, summopere enitebantur et urbem Bremam, archiepiscopo soli submissam, sibi subigere cupiebant. Ita factum est, ut non multo post Magnus dux Adelbertum a gubernaculo regni deiectum de dioecesi Hamma-

1) Grünhagen: Adelbert, Erzbischof von Hamburg und die Idee eines nordischen Patriarchats 1854. Steindorff: De ducatu, qui Billingorum dicitur, in Saxoniam origine et progressu. Berlin 1858. Wintzer: De Billingorum intra Saxoniam ducatu. Bonn 1869. Weiland, das sächsische Herzogthum.

burgensi depelleret eumque cogeret, ut mille mansos sibi in beneficium traderet. At minimum modo fructum ex hac possessione capiebat; nam quum Heinrico regi, contra quem cum Bavarorum duce coniuraverat, se dederet, ecclesiae Hammaburgensi, quae acceperat, reddidit. Adamus,¹ quem in conditione Hammaburgensis archiepiscopatus adumbranda auctorem secutus sum, refert: Adelberti consilio utrosque duces se in potestatem regis dedisse, Lambertus² contra: Everhardum comitem, ut induciae inter Heinricum regem et ducem Ottonem fierent, effecisse; sed nihil obstat, quominus Adelbertum etiam de pace restituenda laborasse putemus. Id apparet inimicitias archiepiscopi cum Billingis tunc, etsi non omnino depositas, tamen minus infeste esse gestas. Deinde cum ceteris principibus, qui in dioecesi Hammaburgensi ipsa aut extra illam in pagis vicinis comites constituti erant, Adelbertus foedera iniit, ut pecunia accepta comitatum, quem quisque administrabat, ecclesiae Hammaburgensi traderent, et a rege Heinrico, ut auctoritate sua hanc munerum traditionem confirmaret, impetravit. Sed nullam ex hac emptione elicit utilitatem. Contra multa alia, quae a rege in beneficium accepta apud Adamum, III. 58 cp., enumerata invenimus, Adelberti in possessionem venerunt praeter Corbeiam et Lauessam monasteria, quae archiepiscopus frustra in potestatem suam redigere conatus est. Sic studium et laborem, quae in gloriam et potestatem ecclesiae suae amplificandam impenderat, magna ex parte profudit atque perdidit.

Sequitur, ut conditione Hammaburgensis ecclesiae ipsius pauca dicam. Slavi Hammaburg urbem iam anno 1066 una cum Stormariae regione occupatam iterum a. 1072 vastaverunt atque incenderunt, totamque Nordalbingorum terram in

1) Adam III, 59 cp.

2) Lambertii annales Hersfeldenses a. 1071. W. Giesebrecht III, p. 161, Everhardum comitem solum pro pace intercedentem facit.

3) Adam III, 49. 50. 63 cp. et „Hamburger Reimchronik“ apud Lappenberg, Hammaburgensia chronica p. 219: „Do men schref M und LXXII Hinrich und Buthue, försten der Wende, verstornden dat Nortalbingerlant und Hamborch wart grüntlicken verstöret, do was bishop Liemarius.“ cf. p. 381.

potestatem suam redegerunt, cuius incolae aut occisi aut in servitudinem abducti sunt.³ Qua de causa plerique Germanicae nationis Slavorum crudelitatem metuentes Nordalbingiam deseruerunt, ut Helmoldus I, 25 cp. narrat, qui 600 familias inde evasisse et in silvam Hercyniam transmigrasse tradit. Urbem autem Bremam et totum episcopatum citra Albim situm Herimannus comes Lüneburgensis, frater Ordolfi ducis, castellis, quae Adelbertus ad episcopatum tuendum aedificaverat, captis et dirutis, diripuit atque depopulatus est. Deinde divitiae ecclesiarum, quibus solis Herimannus pepercerat, ab Adelberto ipso in comitatum emptione, de qua iam supra dictum est, consumptae; bona ac reditus congregationum a vicariis servisque archiepiscopi dissipata; divitibus et pauperibus, quaecumque possederunt, ablata sunt. „Ita civitas a civibus et forum mercibus usque hodie defecisse putatur, quum praesertim, si quid nostris intactum superfuit, hoc servi ducis radicibus absumpserint,“ et alio loco: „(ecclesia), quae invidia ducum huius patriae semper impugnata, nunc demum etiam ad nichilum redacta est“ Adamus¹ queritur.

De Liemari ortu et vita usque ad annum 1072.

Adelbertus archiepiscopus Hammaburgensis, qui a. 1069 denuo in curiam et familiaritatem regis receptus consilio et auctoritate gubernacula regni Teutonici tractabat, 16 vel 17 kal. Apr. a. 1072 diem supremum Goslariae obiit, cuius corpus Bremam translatum decimo die post in medio chori basilicae novae sepultum est, quamquam, ut in Hammaburg urbe sepeliretur, saepius rogaverat.² Defuncti in locum Henricus rex, duobus mensibus praeteritis, quum in Saxoniam rediret et die ascensionis Domini Goslariae versatus ad pentecosten cele-

1) Adam III, cp. 57, 54.

2) Adam III, cp. 67.